



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1675. usque ad annum 1681

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1780

VD18 90119207

§. 120. Calendarii Gregoriani usus a Protestantibus acceptatus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67305)

Sæc. XVII.

A. C. 1679.

§. CXX.

*Calendarii Gregoriani usus a protestantibus acceptatus.**Reinh. Back.
part. I. Ex-
pos. Evang.
pag. 258.*

Quamvis ipsimet Protestantes ultra faterentur, quod ob diversum Calendarii Gregoriani & Juliani usum in negotiationibus, in politicis & judiciis maxima orirentur incommoda, imo propter eadem festa præcipue Paschæ diverso tempore celebranda non leves turbæ ac seditiones Augustæ & alibi a Prædicantibus, aliisque fuissent excitatæ, ac propterea jam Anno 1654 non tantum Spiræ, verum etiam Anno 1664. duodecima Aprilis die Ratisbonæ feria ad utrumque hoc Calendarium aut concordandum, aut Julianum penitus abrogandum in Imperii comitiis deliberatio habita fuerit, semper tamen Protestantes unice, ne Gregorii XIII. Romani Pontificis jus in eorum Ecclesias agnoscere, & quod Anno 1582. recenti odio in comitiis Augustanis rejecerunt, nunc approbasse viderentur, omnem conatum, ac Cæsaris decreta interturbare moliti sunt: quocirca totum negotium ad proximam Cameræ visitationem & sequentia Imperii comitia rejicere oportuit. Hoc autem rursus anno Imperator, aliquo Prin-

Principes Catholici tentabant, an per- Sæc. XVII.
A. C. 1679.
suadere possint Statibus Imperii Luthe-
ranis æque ac Calvinistis, necnon ur-
bibus Augustanæ confessioni addictis,
ut deinceps solo Calendario Gregoriano
uterentur, illudque approbarent: Ve-
rum Protestantes variis artibus, ac sub-
terfugiis horum molimina eluserunt,
caussantes, ejusmodi correctionem non
ad Papam, sed ad Magistratum Romani
Imperii pertinuisse, aliunde vero in
Gregoriana emendatione nævos adhuc
restare gravissimos, ac insuper Ataxiam
ex Juliano Calendario ortam nondum
fuisse sublatam: magis adhuc ridicula
temeritate Prædicantes sese hujus Ca-
lendarii usui opposuere, eoquod hac
correctione Pontifex se vivum esse Anti-
Christum monstrarit, de quo prædi-
ctum, quod sit mutaturus tempora &
leges, & super omnes se sit exaltatu-
rus: nequidem ad horam hostibus
scilicet Catholicis cedendum esse, aje-
bant: aliunde vero circa tempora & dies
festos Prædicantes nequidem Episcopi
Lutherani judicio stare obstrictos esse,
multo minus Romano Lupo & jurato
Protestantium Ecclesiarum hosti, præ-
cipue cum Gregorius asseruerit, se ad
hanc mutationem fuisse inductum par-
tim a Concilio Tridentino, partim San-
ctorum Calendario adscriptorum vene-
ratio-

Sæc. XVII. ratione, Protestantes autem huic Con-
A.C. 1679. cilio non obedire, & Sanctos non co-
 lere: Num ad pueriles hasce rationes
 risum teneatis amici? Anno autem hu-
 jus sæculi octogesimo Markbraiti Fran-
 conia oppido Ferdinandus Schwarzen-
 burgicus Princeps Religionis Catho-
 licæ exercitium, usumque Calendarii
 Gregoriani revocavit, obnitentibus Lu-
 theranis, qui Protestantium Statuum
 Ratisbonæ consistentium opem implo-
 rabant; nec hi illis defuere, quibus
 tamen Princeps reposuit, nulla se Pro-
 testantium subditorum sacra inturba-
 bare, nec ad ritus Catholicos cogere,
 eorum tamen obedientiam in receptio-
 ne Calendarii utpote in re mere politica
 deprecari: ad hæc denuo responderunt
 Protestantes, Calendarii usum ob-
 mitantes circumstantias, præcipue ob-
 festos dies religiose observandos ad æ-
 conomiam Ecclesiarum simul spectare,
 circa quam Princeps Catholicus non
 jure proprio, sed modo duntaxat vi-
 cario, & veluti Diæcesanus dispo-
 neri: tali autem Protestantes obedire non
 possent: Demum anno hujus sæculi ul-
 timo Protestantes Imperii Principes
 circa Calendarii reformationem & re-
 formati usum in Protestantium ditio-
 nibus decreto statuerunt: *Ut semel pro
 semper undecim dies Februarii posteriores*
abji-

abjicerentur, feriis Apostoli Matthiae in Sæc. XVII.
 Mensis lucem decimam octavam locatis, ce- A. C. 1679.
 lebratio Paschatis & reliquorum festorum,
 posthac pro accurata Calculi Astronomici
 ratione institueretur, dies Dominicalis, fe-
 riandi & hebdomadales Protestantium om-
 nes, in columna particulari exhiberentur in
 perpetuum cum hac inscriptione: Calenda-
 rium emendatum Anno autem 1724. die
 secunda Aprilis necnon Anno 1743. die
 duodecima Septembris rursus Impera-
 tor dato ad Ratisbonensia comitia de-
 creto Calendarium Gregorianum ab om-
 nibus recipi præcepit; cum vero An-
 no 1738. Æquinoctium vernale die no-
 na Martii vespere hora octava, & no-
 vilunium mane eadem die, qua Judæi
 primam Mensis Nisam diem agunt, in-
 ciperet, proin proximum plenilunium
 die vigesima quarta Martii vespere hora
 septima inchoaret, eodemque die Ju-
 dæi Pascha, illudque & proximo die
 Dominico vigesima sexta ejusdem Men-
 sis Christiani celebrarent, hinc in Sue-
 cia Anno 1739. Fridericus Sueciæ Rex
 die trigesima Januarii præcepit, ut ex-
 puncta cyclica Dionysii computatione,
 indeque sequentibus pleniluniis pascha-
 libus, imposterum Pascha juxta morem
 in Germania & Dania apud Protestan-
 tes usitatum figeretur. Jam antea Lu-
 dovicus Godefridus Hochenloanus Prin-
 ceps

Sæc. XVII. ceps Pascha juxta Gregorianum Calendarium celebrari, die vigesima quinta

A. C. 1679.

Januarii Præconibus, & incolis injunxit: Tandem vero Anno 1776. die vigesima Januarii Ratisbonæ Principes Protestantes declararunt, quod ex libera voluntate, & præcipue ad negotiationis emolumentum & præcavenda dissidia præprimis in mixtæ Religionis ditionibus Calendario Gregoriano apud Catholicos usitato, sub nomine communis Calendarii Imperialis accedant, proinde Pascha, ceteraque inde dependentia festa unacum Catholicis simul, salvo tam in Sacris quam in profanis jure territoriali, celebrarentur: Hoc Protestantium Decretum non modo Catholicorum Principum assensu, sed etiam Cæsaris mandato die septima Junii ratum fuit habitum, confirmatumque: Jam olim Reinhardus Backius & Burgoldensis Protestantibus ejusmodi consilium suggessere, suadentes, ut si Protestantes sub Principe vel Magistratu Catholico degentes hoc Calendarium acceptare cogerentur, tunc de salvo Religionis exercitio interposita protestatione, non in gratiam Papæ, sed in honorem sui Principis vel Magistratus, atque ad declinandam seditionis suspicionem illud acceptarent. Quam insana, ac Phrenetica aversio erga Papam etiam

in rebus sectæ nequidem adversis, sed Sæc. XVII.
Reipublicæ proficuis! A.C. 1679.

§. CXXI.

*Eboracensis Dux a successionis jure ex
odio Catholicæ Religionis ex-
clusus.*

Interim inferioris Curix, seu plebæi *Salmon hist.*
Ordinis Senatores, quod confictæ *d' Angl. t. I.*
conjuratiōi credulas aures unice ex *Rapin Hist.*
odio erga Catholicos præbuerint, nun- *d' Angl. l. 23.*
quam apertius testatum reddidere, nisi
dum Eboracensem Ducem Caroli II.
Angliæ Regis Fratrem a solii jure huc-
usque non audita temeritate exclude-
runt; postquam enim profuso Catholi-
corum sanguine suas manus polluerunt,
necnon innoxios carceribus atque exi-
liis excarnificarunt, fudes adhuc in
eorum oculis erat Jacobus II. Eboracensis
Dux religione Catholicus, pro-
ximus Regni hæres; ergo adversus hunc
die Dominica, haud veriti, *ne tumultus fieret in populo*, unanimi suffragio
ac nemine contradicente concluferunt, quod
Dux, utpote Papista, eo quod conjura-
tis animum addidisset, Successionis
jure privaretur: Ita nempe Puritani
conjuratiōis commentum pro oppor-
tuno Catholicum Regem excludendi
medio, non autem conjurationem tan-
quam